



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro reconciliatione peccatoris, & peccatorum venia, precatio efficax.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

tuam evitare Quapropter ô dulcissime, desiderabilissime Iesu Christe, Domine Deus meus, nunc ego cor meum ab omni creatura auerto, & tibi illud fidelissimo vnicuique amatori meo offerens assigno, rogans vt illud in cor tuum absorbeas, adeoque tibi totum spiritum meum vnias, vt posthac aliud non sit mihi velle aut nolle, quàm tui cordis beneplacitum. Eia igitur ô fidelissime amator Iesu Christe omnem culpam omnemque impedimentum amoris tui, & quicquid inter te & me non rectè mediat, quæso aufer à me. Purifica me in roseo sanguine tuo à cunctis vitijs ab omni impuritate, ac proprietate intentionis & amoris, vt nihil in me remaneat, quod castissimo amore tui non inflammatum ignescat.

Alia breuis oratio.

O Agne Dei mansuetissime, propter innocentissimam mortem tuam, peccatis meis ignosce, & emendationem vitæ meæ secundum cor tuum mihi tribue, Amen.

Oblatio ad Patrem caelestem pro peccatis abunde satisfactoria.

Clementissime Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, in emendationem peccatorum ac vitiorum meorum omnium offero tibi vnicuique tui satisfactionem plenissimam, sed acerbissimam, hoc est, eius amarissimam passionem ac mortem innocentissimam. Et in suppletionem omnium negligentiarum atque defectuum meorum, sed in gratiarum actionem pro cunctis beneficijs tuis, offero tibi eiusdem innocentissimæ vitæ actus, virtutes ac merita.

Porro in gloriam ac beneplacitum tuum offero tibi corpus & animam meam, vt illa tu possideas atque regas, quomodo tibi maxime placuerit, me totum in laudem & honorem tui conuertas, adeoque tibi me vnias, vt nunquam velim aut velle possim, quam quod tu vis. Amen.

Pro reconciliatione peccatoris, & peccatorum venia precatio efficax.

Domine Iesu Christe, verus Deus & homo perfectus, recordare obsecro illius ardentissimæ atque feruentissimæ charitatis, quæ te de regalibus sedibus tuis in hanc vsque lachrymarum vallem miserabilemque exilium ac tenebrosam traxit carcerem, vt nostram naturam assumeres multasque ab electo tuo populo persecutiones, opprobria, contumelias, crucem, & mortem horrendam patereris, quo sic peccatores quæres, & saluas faceres oues tuas à te vero pastore aberrantes. Reduc igitur me mi dulcissime Domine ac pastor vigilantissime, ad viam veritatis, à qua longe per deum vitiorum abductus sum: neque peccatorum meorum reminiscere, quibus non nisi iram & indignationem maximam merui ouibusque tuis me aggrega à quarum grege propria mea malitia stimulante, tamdiu me segregavi.

Eia superdulcissime Deus, si tales quæris, qui non nisi propter grauitatem criminum suorum desperare possent, in quos miserationum tuarum profundissimum effundas pelagus, en habes me desperatum ac pondere priorum vitiorum nimis prægranatum, miserere mei, ac solitam tuam benignitatem, quam omnibus indifferenter ostendis, mihi noli negare, aut à facie tua repellere. Si item quæris viles, abiectos, inopes & egenos, quibus beneficias, aut diuitias æternæ tuæ felicitatis committes, mi suauissime Domine Deus ac saluator meus, ad me respice, mihique intende. En operibus bonis sum vacuus, veris virtutibus destitutus, donis atque gratijs tuis in malum meum hucusque sum abusus, tempus ad penitentiam indultum misere nimis absumpsi, multaque alia perpetravi, quæ, enumerari nequeunt, non tamè

tibi

tibi incognita, qui serutaris renes, & probas corda, & reddis unicuique iuxta fructum adinventionum suarum.

Quare quā humilime & simplicissime possum tuæ excellentissimæ supplico Maieſtati, vt his meis defectibus misericorditer succurras, meamque necessitate & indigentia tuis supereffluētissimis meritis supplere digneris. Et quid vltra addā? Si queris impios & homines deperditos, in quos pietatem tuā exerceas, offero me tibi, vt tuam in me declares pietatem: quando quidem nihil ita tuæ conuenit misericordissimæ pietati quā misereri & parcere creaturæ tuæ, quæ per te facta, & à te refecta est.

O Iesu piissime, & amator ardentissime humani generis, noli quæso derelinquere me miserum in tanta constitutum miseria & necessitate, sed fer opem mihi & hostium meorum impulsus tu propitius depelle.

Iterum atque iterum te rogo luauissime Deus per omnes virtutes & merita tua, per omnē gratiam, quā vnquam piorū mentibus infudisti, per omnia dona superdulcissimi Spiritus sancti quibus discipulorū tuorū corda erudisti & illuminasti, per excellentissimā ac diuinissimam vnionē, qua tua humanitas diuinitati tuæ est vnita, & postremo per illam indicibilem charitatē, qua causam nostrā in te recepisti, vt nos Patri tuo reconciliares, redde mihi Patrē tuū cœlestē placatū & reconciliatū, & multiplicia mea peccata atque delicta sanctissimis tuis meritis dele, gaudijsque sempiternis post hanc vitā, mihi interesse cōcede, hereditatemque meā iam diu amisā mihi quæso restitue, & ad consortiū beatorū spiritū misericorditer me admitte, Amen.

Pro peccatorum remissione alia precatio efficacissima, humili corde dicenda.

Dulcissime, suauissime, amantissime, atque pulcherrime Domine mi Iesu Christe, rogo te per sanctissimam tuam natiuitatem, durissimum exilium, purissimam conuersationem, amarissimam passionem & mortē, per omnia vulnera tua, per omnes guttas preciosi sanguinis tui pro me effusi, per benedictissimam ac intemeratam matrem tuam virginē Mariam omnesque sanctos tuos, ne me sordidū, foetidū, ac omni peccatorū spurcitiā feceratū, hominē flagitiosum omni gratia tua indignum, propter grauissima mea peccata, impietatem & infinitas meas negligentias, quibus abunde nimis iram tuam contra me concitauit, despicias, aut à facie tua amabilissima repellas, sempiternis cruciatibus me tradendo. Sed vt des veniam misero mihi peccatori, recipiasque me contritum & compunctum in gratiā tuam, vt innotescat in omnibus finibus terræ nomen sanctum tuum, collaudentque te, omnes qui onasti sunt peccatis, grauatique huius mundi sollicitudinibus, vt confitii de tua pietate, misericordia & benignitate, suarum citius culparum sperent indulgentiam: incipiendo detestari & odisse se & peccata sua, atque ad te Deum verum & viuam conuertantur.

Offero me etiam tibi totum ad quæcunquē sustinenda, pro innumeris meis delictis & excessibus, secundum liberalissimā tuā voluntatem ac benignissimū beneplacitum. quoniā tu semper iustus & bonus, & omnia in bonum conuertis. Ego verò iniquus & impius, omnia tua bona & dona mihi collata peruertēs ac destrues. Nec aliquid à me possum boni perficere, quantumuis bona mihi nō desit voluntas, propter carnis infirmitatē, qua trahor, raspior sæpe, vt nosti, cogitare quæ non licet, agereque quæ rationi contraria sunt. Ideo cōfiteor tibi Domine peccata mea, & rogo te, vt tu pie Domine ex abundantia meritorū tuorū suppleas defectum meum, perficiasque voluntatē meā, vt quicquid boni cōcipiam aut intelligam de te, aut quod honorē tuum proximique salutē promouere possit, hoc sine mora implere satagam, siue id fuerit seu-